

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IX - N. 1

1977

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1977

EX ACTIS PAULI PP. VI

Const. Ap. <i>Vicariae potestatis in Urbe</i>	3
Litt. Ap. - De Abbatiarum nullius innovatione	14
Litt. Ap. - Consilium pro Laicis denuo ordinatur	16
Litt. Ap. - Pont. Comm. a Iustitia et Pace denuo ordinatur	19
Allocutio ad Sacram Romanam Rotam	23
Allocutio ad Conventum Iuris Can. Intern. in Pont. Univ. Gregoriana	29

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei</i>	
Responsa circa sterilizationem	34
Declaratio circa admissionem mulierum ad sacerdotium ministeriale	36
<i>Pontifícia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis</i>	
Responsum ad propositum dubium	51

ACTA COMMISSIONIS

I. Schema « De Institutis vitae consecratae » transmittitur	
<i>Litterae transmissionis</i>	52
<i>Praenotanda</i>	53
II. Congregatio Plenaria	62
<i>Relatio Card. Praesidis</i>	62
<i>Conclusio - Allocutio Summi Pontificis</i>	81
III. Opera Consultorum in apparandis schematibus	83
Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentalí » (cann. 35-65; 30)	83
Coetus de iure matrimoniali (Schematis cann. 242-264)	117
Coetus de iure poenali (De poenis aliisque punitionibus)	147

DOCUMENTA

Oratio Card. P. Felici: <i>Formalitates iuridicae et aestimatio probationum</i>	175
Prolusio Card. Praesidis apud Pont. Un. Gregorianam	184
Relatio Exc.mi D. R. I. Castillo Lara, Secretarii, apud Pont. Un. Gregorianam . .	187
Notitiae	195

ADUNATIO VI

Can. 251 = can. 250 schematis

Episcoporum Conferentiae statuant normas de examine sponsorum, de publicationibus matrimonialibus deque aliis opportunis mediis ad investigationes, quae ante matrimonium peragendae sunt, quibus diligenter observatis, parochus procedere possit ad matrimonio assistendum.

— Sunt aliqua Organa consultationis quibus placeret ut demandetur Episcoporum Conferentiis statuendi « normas de opportunis mediis ad investigationes », quin in canone mentio fiat specialiter de « publicationibus ».

Aliquis Consultor hanc suggestionem approbat quia, dicit ipse, non est ratio preferendi hoc medium investigationis (i.e. publicationes) vel de ipso speciale mentionem faciendi, cum in novo schemate suppressa sit descriptio talis instituti prout praebetur in CIC; ad quid, ergo, sola mentio, quin institutum publicationum describatur? Praeterea non ubique publicationes flunt in praxi hodierna.

Card. Praeses proponit ut dicatur « de publicationibus *aliisve* opportunis mediis ad investigationes ... » (Placet 5 - Non placet 2).

— Propositorum etiam fuit ab aliquibus ut mentio quoque fiat in canone de necessitate et utilitate processiculi matrimonialis, qui in hodierna praxi in scriptis redigitur a parochis de examine sponsorum.


Consultores respondent non esse necessariam expressam mentionem *processiculi*, cum sat clare de ipso innuatur per verba « de examine sponsorum ».

Ad maiorem claritatem consequendam, proponitur ut in canone dicatur: « ... de examine sponsorum, *necnon* de publicationibus matrimonialibus *aliisve* opportunis mediis, etc. ... » (Omnibus placet).

Can. 252 = can. 251 schematis

Catholici qui sacramentum Confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipient, si id possint sine gravi incommodo.

Circa hunc canonem nonnullae animadversiones factae sunt ab Organis consultationis non uniformes tamen, aliquibus enim potentibus ut necessario requiratur confirmatio ante matrimonium, quem in finem



etiam parochi gaudere deberent facultate administrandi sponsis sacramentum Confirmationis ante matrimonii celebrationem, aliis vero pertinentibus ut canon penitus supprimatur, cum non necessariam censeant confirmationem ante matrimonium.

Sunt etiam qui censeant hunc canonem non perfecte cohaerere cum norma quae habetur in rubrica n. 12 novi ritus Confirmationis.

Consultores, omnibus perpensis, concordant ut canon retineatur prout est.

— Siquidem nonnulla Organa consultationis conquesti sunt de suppressione adhortationis, quae habetur in canone 1033 CIC, circa sacramenta paenitentiae et Ss.mae Eucharistiae occasione matrimonii, aliqui Consultores proponunt ut in hoc canone de confirmatione aliquid etiam addatur de illis aliis sacramentis recipiendis.

Post aliquam discussionem sive circa opportunitatem eiusmodi normae, sive circa aptiorem locum ubi collocetur, omnes assentiunt propositioni alicuius Consultoris collocandi normam tamquam § 2 huius canonis 252, his verbis redactam:

Ut fructuose sacramentum matrimonii recipiant, enixe commendatur ut sponsi ad sacramenta paenitentiae et Ss.mae Eucharistiae accedant.

— De propositione conferendi parocho facultatem administrandi sacramentum Confirmationis sponsis, qui nondum confirmati fuerunt, ratio habebitur in Titulo de Sacramento Confirmationis.

Can. 253 = can. 249, § 1 schematis

Pastorum animarum officium est pro temporum locorumque necessitatibus omnia pericula a matrimonio invalide ac illicite celebrando remediis opportunis arcere, ideoque antequam matrimonium celebretur constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere.

Aliquis Consultor proponit ut repristinetur potius textus can. 1019, § 1 CIC, qui melius respondeat huic novae redactioni capituli de cura pastorali et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent. Propositio omnibus placet, ideoque formula erit:

Antequam matrimonium celebretur constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere.

Can. 254 = can. 249, § 2 schematis

In periculo mortis vel casu urgentis celebrationis, si aliae probations haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio contrahentium, si casus ferat, etiam iurata, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.

Nonnulla Organa consultationis dubium moverunt de opportunitate verborum « vel casu urgentis celebrationis » eo quod occasionem praebere possunt multis abusibus.

Suggestio placet Consultoribus qui concordes sunt ut illa verba supprimantur.

Can. 255 = 252 schematis

Omnes fideles obligatione tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelandi.

Unica suggestio habetur circa hunc canonem addendi scilicet « Ordinario loci »; quod omnibus placet.

Can. 256 = can. 254 schematis

Si alius quam parochus, cuius est assistere matrimonio, investigationes peregerit, de harum exitu quamprimum per authenticum documentum certiorem illum reddat.

Suggesserunt aliqui (paucissimi quidem) ut hic canon supprimatur, quia de hac re leges dare possunt Conferentiae Episcoporum.

Consultores autem censem normam esse opportunam quia vigere debet pro tota Ecclesia; normae enim Conferentiarum possunt differre inter se.

Claritatis causa, formula in fine ita mutatur: « ... per authenticum documentum eundem parochum certiorem reddat ».

Aliqui Consultores petunt num conveniat retinere etiam can. 253 schematis, qui agit de facultate Ordinariorum dioecesanorum dispensandi a publicationibus matrimonialibus.

Post brevem discussionem, omnes Consultores, uno excepto, concordant circa suppressionem huius canonis, quia in parte generali Codicis prostant normae de facultatibus Episcoporum dispensandi a lege communi in casibus particularibus.

Can. 257 (de casibus in quibus licentia Ordinarii loci requiritur ut matrimonio assisti possit)

Formula huius novi canonis ita a Relatore proposita est:

Parochus, excepto casu necessitatis, matrimonio ne assistat nisi re ad Ordinarium delata, licentiam assistendi obtinuerit, quando agitur:

- 1) *de matrimonio vagorum;*
- 2) *de matrimonio quod, quacumque ex causa, civiliter agnosc vel celebrari nequit;*
- [3) *de matrimonio eorum qui perdurante priore matrimonio adulterium inter se consummaverunt et matrimonium per civilem actum attentaverunt];*
- 4) *de matrimonio eius qui notorie aut catholicam fidem abiecerit, etsi ad communitatem non catholicam non transferit, aut societati ab Ecclesia prohibitae adscriptus est; [Ordinarius vero licentiam ne concedat, nisi servatis normis de quibus in can. 277, ad singulos casus (convenienter) aptatis];*
- 5) *de matrimonio filiorum familias minorum, quod parentes abnuerint; Parochus vero minores bortetur ne insciis aut rationabiliter invitis parentibus nuptias ineant;*
- 6) *de matrimonio per procuratorem contrahendo; Ordinarius autem licentiam ne concedat nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati, ad normam can. 306 dati, dubitari nullo modo liceat.*

Prima discussio fit de primis verbis « excepto casu necessitatis », quae Consultor aliquis mutare vellet verbis « excepto casu periculi mortis »; alii Consultores vero nolunt disciplinam severiorem introducere quam quae pro fere omnibus istis casibus habetur in CIC.

Deinde examinantur singuli casus in canone recensiti:

1. *De matrimonio vagorum (omnibus placet).*
2. *De matrimonio quod, quacumque ex causa, civiliter agnosc vel celebrari nequeat (omnibus placet).*
3. *De matrimonio eorum qui perdurante priore matrimonio adulterium, etc.*

Materia huius numeri est quae habetur in can. 256 schematis. Iamvero plura organa consultationis petierunt ut hic canon supprimatur, eo quod difficilis sit probatio adulterii.

Consultores, attenta hac suggestione, unanimiter proponunt ut n. 3 supprimatur.

ADUNATIO VII

4. *De matrimonio eius qui notorie aut catholicam fidem abiecerit etc.*

Materia huius numeri est quae habetur in can. 281 schematis, circa quem Organa consultationis plures animadversiones fecerunt:

a) aliqui proposuerunt ut casus eorum qui catholicam fidem abiecerunt, et si ad communitatem non catholicam non transierint, impedimentum matrimoniale constituant.

Consultores hanc sententiam considerantes, excludunt quod de hoc casu possit fieri impedimentum dirimens, quia qui ita fidem catholicam abiecerit non amittit ius ineundi matrimonii, quod, attenta inseparabilitate contractus et sacramenti, non potest esse nisi matrimonium christianum. Posset tamen fieri impedimentum prohibens, de qua refit suffragatio an ita placeat Consultoribus. At maioritati neque placet de hoc casu impedimentum prohibens constituere.

b) Nonnulli dixerunt verbum « notorie » non esse clarum ad determinandos casus huiusmodi. Consultores respondent dubium haberi posse circa factum an quis revera fidem abiecerit, sed notio iuridica notorietatis est clarissima in iure.

c) Suggesserunt aliqui ut addatur etiam casus eorum qui non fuerunt educati in fide catholicā.

Consultores autem censem sub hac categoria venire de facto magnam partem fidelium, quare nimis gravosum esset pro parochis petere licentiam Episcopi pro istis casibus. Ceterum gravitatem omnino diversam induit casus eorum qui fidem positive abiecerunt, secus ac casus eorum qui forte sine ulla culpa educationem catholicam non habuerunt.

d) Fuerunt qui etiam postulaverunt ut de casu eorum qui censura sunt innodati sermo fiat. Quoniam vero a Coetu quoque de iure poenali tale votum factum sit, proponitur ut addatur in canone: *aut censura notorie sit innodatus* (Placet 4 - Non placet 3).

e) Nonnulli proposuerunt ut consideretur in canone etiam casus eorum qui matrimonium civile contraxerunt et divortium patraverunt. Discussio sat ampla habetur de hac re inter Consultores in qua persensi sunt varii casus ex. gr. eorum qui « pluries » divortium patraverunt, vel eorum qui, vinculo matrimonii civilis detencti, aliud ma-

rimonium religiosum contrahere volunt, vel eorum qui divertium paraverunt quin providerint obligationibus erga filios. Imo examinatur etiam casus eorum qui filios naturales habuerunt quin ipsorum sustentationi aliquo modo providerint.

Tandem proponitur haec formula quae omnibus placet: *de matrimonio eius qui obligationibus naturalibus ex unione praecedenti quoad aliam partem vel filios tenetur.*

f) Aliqui petierunt ut supprimatur casus eorum qui *societati ab Ecclesia prohibitae sint adscripti*, quia nunc temporis difficile est determinare quaenam societas sint prohibitae.

Aliqui Consultores censem hunc casum deleri posse, quia de facto qui « adhaeserunt » doctrinae societatis prohibitae veniunt sub generaliori formula « qui notorie fidem catholicam abiecerint ».

Alii autem vellent mentionem specificam adscriptionis societati prohibitae retinere in Codice. Etiam Praeses vellet hanc mentionem retinere, etsi admittat nunc temporis non facile identificari posse quaenam societas sit contra Ecclesiam.

Fit suffragatio an placeat supprimere verba « aut societati ab Ecclesia prohibitae adscriptus est » (Placet 4 - Non placet 3).

g) De verbis intra parentheses positis *Ordinarius vero licentiam ne concedat etc.*, aliqui proposuerunt ut supprimantur, quia haec norma retinet aliquid de instituto licentiae Ordinarii et aliquid de instituto cautionum quae sunt propriae pro matrimoniis mixtis, quod secumfert aequiparationem casus eius qui « notorie fidem abiecerit quin ad communitatem acatholicam transierit » et casus eius qui init matrimonium mixtum.

Card. Praeses censem hanc aequiparationem mitigari si formula ita redigatur:

Ordinarius vero licentiam ne concedat, nisi servatis normis de quibus in can. 277 congrua congruis referendo.

Haec suggestio Praesidis omnibus placet.

5. *De matrimonio filiorum familias minorum etc.*

Consultor quidam animadvertisit quod haec formula non correspondeat undequaque substantiae formulae can. 258 schematis.

Post brevem discussionem placet ita redigere n. 5: *de matrimonio filiorum familias minorum, insciis aut rationabiliter invitis parentibus.*

6. *De matrimonio per procuratorem contrahendo; Ordinarius autem etc.*

Hic numerus omnibus consultoribus placet.

Post hanc discussionem ad recensendos in can. 257 omnes casus in quibus licentia Ordinarii loci requiritur ut matrimonio assisti possit, committitur alicui Consultori ut melius materiam huius canonis disponat et novam formulam Consultoribus praebeat.

Idem Consultor die sequenti hanc formulam praebuit, quae omnibus placuit:

§ 1. *Excepto casu necessitatis, parochus nisi de licentia Ordinarii ne assistat:*

- 1) *matrimonio vagorum;*
- 2) *matrimonio quod ad normam legis civilis agnosci vel celebrari nequeat;*
- 3) *matrimonio eius qui obligationibus teneatur naturalibus erga aliam partem filiosve ex praecedenti unione ortis;*
- 4) *matrimonio eius qui notorie catholicam fidem abiecerit, etsi ad communitatem vero ecclesiale non catholicam non transierit;*
- 5) *matrimonio eius qui censura innodatus sit;*
- 6) *matrimonio filii familias minoris, insciis aut rationabiliter invitisi parentibus;*
- 7) *matrimonio per procuratorem ineundo, de quo in can. 306.*

§ 2. *Ordinarius licentiam assistendi matrimonio eius qui notorie catholicam fidem abiecerit ne concedat, nisi servatis normis de quibus in can. 277, congrua congruis referendo.*

Tandem facta est quaestio de ordine quo disponi debent omnes canones nuper approbati, quique comprehenduntur sub capite I: « De cura pastorali et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent » (F. VOTO, *Actuarius*).